



**Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1670**

Concl. V. Absolutio sacramentalis omnino necessariò debet ore proferri.  
Invalidè ad absentem dirigitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

CONCLUSIO V.

Absolutio sacramentalis omnino necessariò debet ore proferri. Invalide ad absentem dirigitur.

Ratio à priori voluntas Christi, quam colligimus ex Traditione & perpetua Ecclesie consuetudine. Hujus Traditionis testes sunt Concilium Florent. in Decreto Eugenii, & Concilium Trident. sess. 14. c. 3.

Concil. Florent. primò generaliter dicit: Hac omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet ritibus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ &c. Cum autem rarò sit regula tam generalis, quin patiatur aliquam exceptionem, clarissimis verbis excipit Sacramentum Matrimonii dicens: Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutus consensus, per verba de presenti expressis. Addit, Regulariter; quia in hoc Sacramento sufficiunt alia signa equipollentia, de quibus proprio loco.

Igitur per verba intelligit Concilium verba propriè dicta, alioquin frustra, immo vitiosè addidisset illam particulam, Regulariter, cum Matrimonium non tantum regulariter, sed semper perficiatur per verba propria, vel signa æquivalentia. Jam autem exceptio, ut communiter dicitur, firmat regulam in contrarium.

Herculè Sacramentum Pœnitentiæ perfici debere verbis propriè dictis, non potuit clariùs hoc Concilium exprimere, quam expressè tradens in speciali formam hujus Sacramenti: sic enim ait: Forma hujus Sacramenti sunt verba Absolutiois. Et ne dubitaret ipsum loqui de verbis formalibus, continuò adjunxit: Quia Sacerdos proferit cum dicit: Ego te absolvo &c. Quid clariùs? Nam proferre, & dicere manifestè significant oris prolationem.

Licet porò Concil. Trid. non tam aperte loquantur, sed solum dicat: Sacramenti Pœnitentiæ formam .... in illis ministris verbis positam esse: Ego te absolvo &c. equidem nulla subest ratio, ipsum intelligendi impropiè.

Accedat Concilium Moguntinum sub Archiepiscopo Sebaltiano anno 1549. celebratum, in quo cap. 24. sic habetur: Sacerdotes vero qui Confessionibus audiendis dant operam, Absolutiois formam non intricent pluribus membris aut conditionibus appositis, sed planis & simplicibus verbis depromant: Ego absolvo te &c. Quis autem depromit verba, nisi qui ore pronunciat?

Cæterum cur Christus potiùs requisiverit ad essentiam hujus Sacramenti (uti & aliorum) verba propriè dicta, quam ad Sacramen-

tum Matrimonii, penes ipsum est, Potuisset indubiè Christus ad valorem contractus matrimonialis requirete verba propriè dicta, si non ipsorum contrahentium, ne muti excluderentur ab illo statu, ad quem ex conditione nature ordinati erant, saltem ipsius Parochi, aut alterius assistentis, v. g. hæc verba: Ego vos coniungo &c. quare autem non fecerit, Quis Consiliarius ejus fuit?

Potuit etiam pro Sacramento Pœnitentiæ non requirete necessariò & essentialiter verba propriè dicta, sed sicut elevavit contractum Matrimonii prorsus invariatum ad dignitatem Sacramenti, sic pariter elevare iudicium humanum, in quo rei absolventur à delictis impositâ pœnitentiâ, etiam scripto, nutu, aut aliis signis æquivalentibus absque verbis propriè dictis; elevare, inquam, potuit ad rationem Sacramenti Absolutiois peccatorum coram Deo, additis non nullis circumstantiis & quamobrem non fecerit, ipse novit, qui requisivit verba propriè dicta.

Sanè quemadmodum Doctor Subtilis 4. dist. 14. q. 4. n. 4. colligit, in hoc Sacramento non esse necesse ita præclara verba; sicut in Baptismo vel Eucharistia; ex eo tantum, quòd in iudicio publico non oporteat esse limitata verba; cur ego similiter non possem colligere, in hoc Sacramento non esse necesse verba propriè dicta, sicut in Baptismo vel Eucharistia, ex eo quòd in iudicio publico non oporteat esse verba propriè dicta? Nullam video differentiam, nisi voluntatem divinam, de qua constat in uno casu, & non in alio.

Hoc certum est, non in omnibus valere argumentum ab uno iudicio ad aliud nam in iudicio sacramentali idem est accusator, & reus; quia est iudicium voluntarium. Item creditur soli reo pro se, & contra se; quia est iudicium institutum in favorem & medicinam ejusdem rei. Quæ conditiones omnino non servantur in iudicio humano. Et è contra, in iudiciis humanis sæpè requiritur certa aliqua solemnitas, v. g. quòd accusatio vel sententia scripto fiat, sine qua solemnitate sententia est invalida, quæ tamen non requiritur in iudicio sacramentali.

Potuit ergo Christus in iudicio sacramentali requisivisse hanc conditionem, v. g. ut sententia proferretur verbis propriè dictis, tamen si in aliis iudiciis non sit necessariò adhibenda. Quòd autem factum sit quòd fieri potuit; sicut dixi, efficacissimè probatur ex Traditione, & perpetua consuetudine Ecclesie.

Alioquin expressa definitio non invenitur, & ut ait Suarez disp. 19. sect. 1. n. 2. Nonnulli Doctores sentire videntur, verba propriè dicta non esse de essentia hujus formæ; sed sufficere aliud signum, quo intentio Sacerdotis de absolvendo pœnitente sufficienter exprimitur. Ita sentiunt Paludanus dist. 17. q. 2.

mentum, quam ad Matrimonium requiritur fieri verba propriè dicta.

120. Non valet in omnibus argumentum à iudicio sacramentali ad iudicium humanum.

& vice versè

Quòd Christus requisivit fieri verba propriè dicta in hoc Sacramento non invenitur expressè definitum. Suarez & Paludanus.

ON-

Medina  
Pet. Soto  
Navarrus

a. 1. n. 7. Medina Cod. de Confess. q. de modo confitendi. Pet. Soto Lect. 11. de Confess. Navar. in Sum. c. 21. n. 36. & in cap. Quem pœnitet, de Pœnit. dist. 1. n. 4. quatenus aiunt, in aliquo casu valere formam scripto missam, quamvis expressè non negent, esse necessarium, formam verbo proferre Hęc Suarius.

121.  
Probarur a  
pars Con-  
clusionis-

Et ecce pervenimus ad secundam partem Conclusionis, quæ videtur sequi ex prima. Siquidem verbis propriè dictis non utimur, nisi ad præsentem, cum absens nullo modo possit illa intelligere.

Objectio,

Sed dicit aliquis; verba Absolutionis non adhibentur, ut suscipiens Sacramentum illa percipiat (potest enim ministrari furdo, amentis &c. immo de facto ministratur in lingua, pleurisque pœnitentibus ignotâ) sed magis ut Deus cognoscat nostram intentionem: ipse autem ubique præsens est, & ubique eam cognoscit.

Solvitur.

Respondeo; etiam cognoscit nostram intentionem tametsi non exprimat verbis propriè dictis, immo merè internam, & tamen requiruntur verba propriè dicta. Quare? Quia Deus sic voluit. Interim ex ipsis verbis patet, quòd saltem mindè principaliter dirigantur ad ipsum pœnitentem, Ego, inquit Sacerdos, te absolvo; ergo alloquitur pœnitentem, & non Deum, sicuti si Deus ipse diceret: Ego te absolvo, non dubium quin verba illa dirigantur ad ipsum pœnitentem, estd pœnitens ea non intelligeret.

122.  
An valeat  
hęc forma:  
Absolvo il-  
lum?

Alioquin cur persona pœnitentis exprimi deberet per ly Te, aut particulam æquivalentem? Et quare non sufficeret dicere: Absolvo illum? Putas quòd valeat hæc forma Consecrationis: Illud est Corpus meum? Noli putare, si non vis errare. Et certè non ob aliam causam est invalida, nisi quia ly Hoc, significat materiam præsentem; ly Illud, materiam absentem. Sicut ergo non valet Consecratio, prolata super materiam absentem, ita nec Absolutio sacramentalis data absentis, quia ly Te, significat præsentem.

Unde non valet hæc forma: Absolvo Petrum, nisi saltem implicite ratione circumstantiarum dirigatur ad præsentem, quasi ejusdem allocutio, prout dirigi videtur, quando Petrus est præsens, ut sensus sit, Absolvo hunc, qui vocatur Petrus.

123.  
Objectio,

Sed contra, inquis; hoc est, quod quæritur, quare, si non requiritur expressa directio, requiratur saltem implicita. Respondeo; quia aliàs non erit æquivalentia inter illas formas: Ego te absolvo, & Absolvo Petrum, quæ tamen omnino necessaria est; sicut non est æquivalentia inter illas formas: Hoc est Corpus meum, & Illud est Corpus meum.

Occurritur  
evaniont.

Nec valet dicere; Petrus existens v. g. Lovanii, absolvet Paulum existentem Antwerpæ per interpositam personam; quemadmo-

dum per Procuratorem potest absens contrahere Matrimonium: non valet, inquam; quia Absolutio sacramentalis est actio personalis; adeòque non delegabilis. Unde quod communiter dicitur, Quod potest quis facere per se ordinariâ potestate, potest etiam per alium, intelligitur in his, quæ sunt merè jurisdictionis, & non requirunt industriam personæ. Jam autem Absolutio sacramentalis non est actus merè jurisdictionis, sed actus etiam Ordinis. Quamvis ergo jurisdictionis, necessaria ad absolvendum, possit delegari, hæud equidem ipsa Absolutio.

Quantum ad contractum matrimonialem, non constat Christum, dum instituit Sacramentum Matrimonii, eum in aliquo immutasse; sicut ergo ante institutionem Sacramenti, poterat celebrari; instat aliorum contractuum, absque verbis propriè dictis, per nutus, litteras, aliæque signa æquipollentia, etiam inter absentes per Procuratores; ita & nunc celebrari potest, & per consequens Sacramentum Matrimonii, quod inhaeret illi contractui.

Et gratis admisso: quòd posset Sacerdos validè proferre verba Absolutionis per interpositam personam, num indè bene inferatur, ergo Absolutio sacramentalis validè dirigatur ad absentem? Patet quòd non; quia persona interposita debet proferre illa verba præsentem illo, qui absolvitur; nec censetur pœnitens absolutus hoc ipso, quòd Sacerdos absolvens dedit commissionem alteri proferendi illa verba; sed tunc demum absolvitur, quando verba illa proferuntur; illa autem non profertur validè, nisi super præsentem.

Omitto congruentias varias, quas congruit Lugo disp. 13. n. 149. quare Christus sic instituit hoc Sacramentum. Sufficit nobis ejus voluntas, quæ non potest esse, nisi maxime rationabilis. Illam autem nobis significavit per Vicarium suum Romanum Pontificem Clementem VIII. qui anno 1602. die 20. mensis Julii, in generali Congregatione Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis, habitâ in Palatio Apostolico in monte Quirinali: Hanc propositionem, scilicet, Licere per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente Absolutionem obtinere, ad minus vobis falsam, temerariam, ac scandalosam damnari et prohibuit. Prohibuitq; ne dempsit ista propositio publicè privative lectionibus, concionibus, & congregatibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad præsum quovis modo deducatur; quòd si quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam disputative tractaverit (nisi forsitan impugnando) vel ad præsum directè seu indirectè deduxerit, præter excommunicationem lata sententia, quam ipso facto incurrat, & à qua non potest (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgeat,

Señ. 3. De Forma Sacramenti Pœnit. Concl. 5. 461

gentē, etiam S. R. E. Maiori Pœnitentiario, nisi à pro tempore existentī Romano Pontificē absolvi, aliis etiam pœnit. arbitrio infingendis, subiaceat. Ita refert Cherubinus in Bullario magno Romano Const. 87.

Quamvis ergo olim multi præsertim ex familia Dominicanorum ( inter quos D. Antoninus testatur, plurimos Doctores ita fuisse in Concilio Basileensi affirmaverint validè, & ex iusta causa licitè, inter absentes dari Absolutionem, sive per epistolam, sive per internuntium, sive saltem propriâ voce absolvendo absentem: equidem hodie post illam Declarationem, omnes unanimiter doceant, id neque licitè, neque validè fieri posse.

Et sanè si Pontifex iudicasset, unquam fore validam huiusmodi Absolutionem, mirum quod illam prohibuisset pro omni omnino casu, etiam extremæ necessitatis spirituales ( nullum enim omnino excipit, ut patet ex verbis relatis) siquidem cœu Leges Ecclesiasticæ non obligant cum gravissimo damno temporali; aut periculo vitæ corporalis; sic multo minus obligare possunt cum gravissimo detrimento spirituali, & periculo damnationis, æternæ v. g. si in periculo mortis nullo modo possit haberi præsentia Confessarii, & Contritio Charitate perfectâ foret moraliter moribundo impossibilis.

Judicavit ergo Pontifex; nequidem in illis circumstantiis huiusmodi Absolutionem valere, & ideo simpliciter pro omni casu eam prohibuit. Et verò si in necessitate valeret, etiam extra illam; quia essentia Sacramenti semper est eadem. Quando ergo pœnitens procederet bonâ fide, nesciens Absolutionem in absentia prohibitam, validè absolveretur extra necessitatem, sicut in necessitate. Veruntamen quia in necessitate non validè absolvitur, ideo nec extra illam.

Quælis autem & quanta præsentia requiratur, non potest physicè definiti; sed moraliter requiritur tanta, quanta sufficit inter eos qui humano modo invicem alloquuntur. Quamquam non sit necesse, ut pœnitens verba Absolutionis audiat; immo ut audire possit, dummodo Sacerdos verè verba proferat.

Cæterum quod ait Herincx disp. 1. n. 36. Scotum ante Decretum Clementis VIII. docuisse, nec validè, nec licitè dari Absolutionem inter absentes, nescio ubi legerit in Scoto; neque enim citat aliquem locum. Interim subscribo verba Scoti, quæ aliquam possent habere apparentiam: Ad aliud, videtur Confessio quandoque faciendâ per scriptum, ut legitur de Thoma Episcopo Cantuariensi, qui misit ad Curiam pro Absolutione, sed hoc videtur esse contra rationem Confessionis, quia omnis scriptura ex sui natura nata est esse publicâ; quantumcumque enim aliquis conseret secretè apud se scriptum, ex quo missa illud, vel propter nuntium, vel propter illum,

ad quem mittitur, potest publicari; & semper ex sui natura est pœnulum cuiusque legenti loquens, quod ibi continetur. Quilibet ergo scribens aliquid facit in hoc, quod est contra naturam signi idonei in Confessione: & in ista scriptura tollitur verecundia, quæ est pœna magna in Confessione, & hoc nisi confitens sit præsens, quando per scriptum confitetur. Et ideo quando dicitur 30. q. 5. Qualis debeat, quod quis potest confiteri per scripturam, Ioannes exponit, quando confitens est præsens; quia absens non potest licitè; igitur absens expectet præsentiam, cum proposito confitendi eâ habitâ. Huculque Doctor Subtilis 4. dist. 17. q. 1. n. 32.

Ubi explicitè non tractat præsentem controversiam, an validè aut licitè possit dari Absolutio absentis; sed an liceat absentem confiteri per scriptum, ad quod responderet: absens non potest licitè; quia videlicet, facit in hoc, quod est contra naturam signi idonei in Confessione, & in ista scriptura tollitur verecundia. Ergo si præsens fuisset confessus, non posset absens, nec licitè, nec validè absolvi, quomodo hoc legitur ex illis verbis Scoti, cum rationes allegatæ non militent in isto casu? Si Herincx amplius aliquid de hac materia reperit in Scoto, cupio doceri.

Interea respondeo ad factum S. Thomæ Episcopi Cantuariensis cum Lugone disp. 13. n. 156, non petiisse Absolutionem Sacramentalem, sed à suspensione; quâ ipsemet se punierat, suspendendo se à missa celebranda, propter quandam conniventiam, quâ bonâ fide, & ex bono fine Regi promiserat consensum in re, ex qua periculum poterat imminere Ecclesiasticæ libertati. Absolutione verò summi Pontificis habitâ, celebravit deinceps sine scrupulo. Ita Cardinalis.

Suarez autem disp. 19. sect. 3. n. 8. Quod, inquit, de Thoma Cantuariensi Scotus refert, in primis nescimus, ex qua historia sumptum sit, neque enim ipse refert, neque ego invenio. Hæc ille. Sed si bene quæsisset, si legisset Surium in illius Sancti vita, factum illud invenisset,

Atque ut misisset S. Thomas ad curiam pro Absolutione Sacramentali, quid tum? Ut supra diximus ante Decretum Clementis VIII. multi Doctores affirmabant, validè, & ex causa licitè, inter absentes dari Absolutionem; porro S. Thomas annis 400. & amplius præcessit Clementem VIII. & quis scit, an ipse non fuerit in illa sententia?

Ad aliud, quod Scotus supra insinuat ex Leone Papa, & ponitur 30. q. 5. c. Qualis debeat, q. in fine ibi: Si fornicata fuerit (uxor) dimittenda; sed illâ vivente, altera non ducenda; quia adulteri regnum Dei non possidebunt, & Pœnitentia illius per scripturam recipienda. Respondeo I. ibi non agitur de Absolutione danda in absentia, sed de Confessione faciendâ, de qua impræsentiarum non tractamus.

129. Respondetur ad factum S. Thomæ Cantuariensis. Lugon. Sicut. Sicut.

130. Ad cap. Qualis debeat. Sicut. Resp. 2.

contra- m; qua lonalis; commu- e ordina- elligitur & non rem Ab- re iuris- Quamvis vendum, solutio- oniam, it Sacra- o immu- ramentum, nas; litte- iam inter nunc co- ramentum contra- Sacerdos per inter- inferitur; dirigunt a persona præsentē pœnitens absolvens illa verò ver- profectur- congregat- sic licet- obis epis- maxime- nificavit- nificavit- die 20. one San- fitionis, ce Quir- re per lit- enti pœ- eodem- minus ubi- mavit ac- dogatio pu- congrega- signo casu- præcum- docuerit, em dispu- ) vel ad- r excom- factio in- articulo- tate ful- gent,



137.  
Secundo

Resp. II. illa scriptura non erat Confessio sacramentalis, sed exigebatur, ut certius constaret de respicientia, & latifheret scandalo fidelium. Sicuti etiam Inquisitores non solent reconciliare Hæreticos, nisi in scriptis fateantur, & abjudent suam hæresim, quæ abjuratio solum ordinatur ad forum externum & judiciale.

Tertio.

Resp. III. Hic permittitur mulieri simplici, dum tamen presens sit, in scripto peccata offerre. Ita Glossa verb. *Per scripturam*, & sequitur Scotus supra dicens; *Ioannes exponit, quando constans est presens.*

132.  
Obiectio ex  
S. Cypriano.

Obijcitur etiam S. Cyprianus Epist. 13. ubi sic ait: *Occurrendum puto fratribus nostris (lapsis à fide ob timorem tormentorum; nunc autem respicientibus & postulantiibus admitti ad communionem cum aliis sanctis) ut qui libellos à Martyribus acceperunt (quibus pax ipsis promittitur) & prerogativa eorum apud Deum adiuvare possunt, si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent à presentia nostra, apud Presbyterum quemcumque presentem, vel si Presbyteri reperiri non fuerint, & urgere exitus caperint, apud Diaconum quoque, exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in Pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dant Martyres, litteris ad nos factis, desideraverunt.* Hæc ille. Sed nihil contra nos.

133.  
Solvitur.

Enimverò apud omnes indubitatum esse debet, solis Presbyteris dictum esse à Christo Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ergo per Exomologesim non significat hic Cyprianus Confessionem sacramentalem; neque per manus impositionem, quam concedit Diacono, Absolutionem sacramentalem, sed reconciliationem publicam cum Ecclesia, à qua separati erant per apostasiam à fide. Neque illam ipse facit in absentia, sed committit aliis faciendam in presentia.

Cyprianus loquitur de publica reconciliatione,

& per par-  
tem intelli-  
git Absolu-  
tionem à  
penis satis-  
factoriis.

Pax ergo, de qua ibi Cyprianus, erat Absolutio à poenis satisfactoriis; hæc autem concedi poterat Diaconis; cum etiam hodie usitata sit Archidiaconorum ab excommunicatione Absolutio, tametsi in solo Diaconatus Ordine constituti sint. Nec mirum, cum constet ex lib. 8. Constitutionum Apostolicarum Clementis, auctoritatem excommunicandi habuisse Diaconos absente Presbytero; cap. 34. ibi: *Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem, Diaconissam, si quid tale contingat, absente scilicet Presbytero.* Habuerunt igitur illo absente etiam potestatem absolvendi ab excommunicatione, nam ejusdem est absolvere, cujus est excommunicare.

134.  
Additio  
Jac. Pameli.

Addit Jac. Pamelius in Annotationibus ad illam Epist. Cypr. Fortassis quum Episcopus absens, & Presbyteri multi carceribus inclusi essent, ex privilegio quodam Diaconis in necessitate permessa est pœnitentium reconciliatio, sicuti à D. Gregorio Presbyteris aliquan-

do concessam legimus Sacramenti Confirmationis administrationem, quæ solis alicui Episcopis competit. Ita Pamelius.

Qui si intelligat per pœnitentium reconciliationem, sacramentalem Absolutionem (ut videtur intelligere: nam adducit simile de Sacramento Confirmationis) nullatenus audiendus est, quia contra torrentem Doctorum, absque ullo verisimili fundamento, ut patebit proprio loco.

Impræsentiarum sequitur agendum de Absolutione conditionali; quæ duplex vel triplex est, sicuti duplex est vel triplex conditio, ut puta, conditio de præterito, de præsentibus, & de futuro. Quæritur ergo, an liceat, vel saltem valeat Absolutio conditionalis? Et juxta dicta disp. 1. de Sacramentis in genere sect. 7. concl. 9. responsio plana est, videlicet:

## CONCLUSIO VI.

Sub conditione de præsentibus & præterito, etiam hæc, *Si Deus sciat, quod cras restitues*, valet Absolutio; sed non licet sine justa causa: sub conditione futura, suspensiva valoris usque ad impletionem conditionis, semper est invalida.

**R**emitto Lectorem ad eam, quæ scripturatur de hac re disp. 1. sect. 7. concl. 9. & rursum affirmo, nullam me videre rationem, quate Sacerdos, prudenter dubitans, an forsitan bene protulerit, non possit absolvere sub conditione: *si non es absolutus*. Similiter si prudenter dubitet de legitima dispositione, sub conditione; *si es dispositus*.

Immo videtur Aliquibus non improbabile, Confessarium accedentem ad sedem confessionalem, hanc generalem posse formare intentionem: *Volo omnes & solos absolvere, qui erant legitime dispositi*; ne videlicet Sacramentum exponatur periculo nullitatis, dum sepius abest interna dispositio, tametsi externus non appareat. Reliqua concernentia primam partem Conclusionis vide loco citato.

Quantum ad secundam partem, quæ præcipua est. Probant illam Aliqui per regulam juris 50. de Reg. Jur. in 6. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.* Et L. 77. ff. eodem titulo: *Actus legitimi, qui non recipiunt diem, vel conditionem: veluti mancipatio, acceptilatio, hereditatis aditio, servi opus, dandi tutoris, in totum vitantur per temporis, vel conditionis adiectionem.*

Sed